



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

ERN. JOH. FRID. II.  
MANTZELII,

JURIS & PHIL. DOCT. ac MORALIUM  
PROFESS. ORD. in ACADEMIA  
ROSTOCH.

PRIMÆ  
LINEÆ  
JURIS  
NATURÆ  
VERE TALIS.

Secundum  
*sane rationis principia*  
ductæ.

---

ROSTOCHII,  
Apud GEORG. LUD. FRITSCHIUM.

1726.



ERN. JOH. FRID. II.  
MANTZELII,

JURIS & PHIL. DOCT. ac MORALIUM  
PROFESS. ORD. in ACADEMIA  
ROSTOCH.

PRIMÆ <sup>#20</sup>  
LINEÆ  
JURIS  
NATURÆ  
VERE TALIS.

Secundum


*sanae rationis principia*  
ductæ.

---

ROSTOCHII,  
Apud GEORG. LUD. FRITSCHIUM.

1726.

**SOBRIE**  
*PHILOSOPHANTIBUS.*



# PRÆFATIO.


**I***N ea reservati sumus tempora, ubi equidem juris naturæ nobilissimæ doctrinæ multi haud in-  
mæ caveæ viri ingenia & operam suam im-  
pendunt; ast insimul experimur, multitudinem  
e ea meditantium id efficere, ut dignum hinc  
de eidem non statuatur pretium; Mox et-  
iam Logomachicæ, circa definitionem & prin-  
cipium hujus juris; Mox confusio rationis &  
juris Naturæ; mox indiscreta oppositio J. N.  
& Decalogi, seu J. N. per naturam & scriptu-  
rum exhibiti; Mox non rite facta distinctio  
juris Naturæ & Gentium; Mox denique  
prejudicia ex Jure Civili hausta, tædiosam  
confusam & spretram reddunt hanc doctri-  
nam.*

Ego dulcedine ejus captus, diu multumque meditatus sum, annon forte via possit inveniri per quam omnes incertitudines effugere, & ad vera intimaque juris naturæ penetralia pervenire detur; tanta autem mentem meam detinuit fluctuatio, ut fere desperaverim: Ne tamen qualiacunque mea cogitata mihi soli habeam, publico ea communicare decrevi.

Non vero ea hoc faciam persuasione, ac si jam credam, me aliquid scribere omni exceptione majus; sed ut potius experiar, in quantum hæc meæ theses vel calculum eruditorum mereri queant, vel quousque contrasentientes me in rectiorem viam ducere valeant.

Rogito itaque, ut illi, quibus supra vulgus sapere datum est, scripta meditentur, suasque observationes placide exponant: Forte enim ea ratione ad certitudinem quandam deveniemus, & multis litibus, alias immortalibus, definitiva feretur sententia. Faxit DEUS T. O. M. ut ducamur in omnem veritatem, & ut cordata intentio suo non careat fructu.

TRA



# TRACTATIO.

## §. I.

**N**eminem sobrie de aliqua doctrina meditari posse, nisi qui genuinam ejus definitionem præsupponit, omnes saniores mecum confiteri, confido. Quo magis igitur intricata est doctrina juris naturæ, eo sollicitius de ejus definitione circumspiciendum erit.

## §. II.

Quantum igitur, sepositis omnibus præjudiciis, hæctenus mihi invenire licuit, juris naturæ Vere talis definitio ex sequenti fuit conceptu : DEUS T. O. M. consentientibus omnibus qui insani non sunt, Auctor, creator, fons & origo omnium rerum est ; ast non solum creator, sed etiam providus est conservator, quod ipsum ex omnium rerum naturalium admirabili connexionem & propagationem liquido apparet, adeo ut lapis & bestia esset, qui vel in fœdissimum Atheismum delabi, vel statuere vellet, primum creatorem res creatas amplius non curare.

A 3

§. III. Hanc



§. III.

Hanc creationem, hanc providentiam, homini, ceu præstantissimæ creaturarum, itidem propriam esse, nullus inficias ire poterit; Immo, quod majus est, omnis docet circumstantia, huic homini singulares a creatore tributas esse prærogativas, & quidem potissimum in eo, quod animâ rationali eundem præditum esse voluerit summus Monarcha.

§. IV.

Constat porro, hanc animam rationalem homini eapropter datam esse, ut non solis motibus naturalibus ad sui conservationem urgeretur; sed ut potissimum intellectu summum Creatorem agnosceret, eundemque admiraretur, & quoad se ipsum habita distinctione boni & mali id eligeret, quod salutare, quodque noxium vitaret.

§. V.

In eo enim omnis Moralitatis principium constituere fas est; quod Deus hominem, qua intellectum, voluntatem & appetitum sensitivum perfecit, ac viribus istis, qua originem effectum ac finem fere divinis instruxerit dotibus, ut *in sola specie boni* liberum suum exerceret arbitrium, non quidem uniformiter, æqualiter & identitate quadam ratiociniorum actionumque atque sic fatali necessitate abs una ad alterum raptus, sed potius, quoad objecta id tulerunt, egregia ac planissima libertate, in  
specie

specie boni sagaciter ac sanctissime distingueret, prudentissime seligeret, ac juxta dictamen rectæ rationis, quicquid meditando ac agendo absol-  
verat, in praxin & applicationem semper fel-  
cem & perpetim gloriosam duceret; nam si  
Deus hominem ita disposuisset, ut uniformiter  
agere tantum potuisset, non unquam bene vel  
male eundem egisse ipse Deus judicaturus fuisset. Ast de hac materia infra.

§. VI.

Rebus itaque sic stantibus prona fluit ne-  
cessitate, Deum præter inclinationes naturales,  
quas homines cum brutis communes habent,  
normam aliquam mentibus eorundem indi-  
disse, secundum quam vitam suam instituere  
debent.

§. VII.

Et hæc ipsa norma verum est jus naturæ,  
quod eapropter explicatius ita describendum:  
**JUS NATURÆ** vere tale est norma illa, quam Deus  
creator hominibus mediante anima rationali patefecit,  
secundumque quam vivere illi debebant eligendo bona  
vitandoque male ad conservandam felicitatem.

§. VIII.

Abfit autem ut statuam homines hodie ad-  
huc vivere in primo illo statu, in quo Deus  
ipsum vivere voluit; Contrarium enim firmiter  
teneo, & in subsequentibus perspicue sola etiam  
ex ratione demonstrabo.

*ad consequendam felicitatem. Vel clarius: Est dī-*  
*ctamen recta rationis de eo, quod fieri vel non fieri de-*  
*bet ad acquirendum bonum & evitandum malum pu-*  
*blicum privatumque: Et in eo sensu Jus Gentium*  
*Synonymum est cum Jure Æquo & vulgariter*  
*sic dicto naturali.*

§. XVII.

**JUS DIVINUM** *est norma illa, quam DEUS*  
*in verbo suo revelato hominibus patefecit eum in finem*  
*ut se in certis quibusdam capitibus imbecillitate intelle-*  
*ctus excusare nequeant. Imò in eo hæret genui-*  
*nus conceptus diversitatis Juris verè natura-*  
*lis & divini, quod Deus, ceu Legislator totius*  
*Reipublicæ humanæ, in prima creatione mundi*  
*atcommodaverit Leges naturæ ad illum statum,*  
*in quo citra peccatum formale civibus vivere*  
*poterant; Quod autem existente defectione, ob*  
*motus peccaminosos, varia positive prohibuerit,*  
*quæ antea in solo materiali mala non erant, jam*  
*autem ob accedens formale pro sua sapientia,*  
*Deus tolerare non potuit.*

§. XIIX.

Tandem autem **JUS NATURÆ** *verè tale est*  
*illa norma, quam DEUS in prima felicitate constituitis*  
*hominibus indidit, ut secundum illam vitam suam di-*  
*rigerent ad conservandam status sui perfectionem.*  
*Hincque frustra disquiritur de eo quod Juris*  
*naturæ est nec ne, nisi ad hunc statum perfe-*  
*ctionis oculi tendantur, & genuinæ propositio-*  
*nes inde eliciantur.*

§. XIX. His

§. XIX.

His dictis abstrahendo ab omni revelatione ex sola ratione ducenda erunt argumenta probantia, homines jamjam non vivere in statu illo, in quo Deus ipsos vivere voluit, sed in statu hypothetico, & penitus corrupto. Sunt autem ea sequentia:

§. XX.

Deus omnium rerum creator sine dubio essentia sua est perfectissimus, ideoque non nisi perfecta & perfectissima creare potuit; imo in omnibus naturalibus, quæ infra, circa, & supra nos observamus, summam admiramur perfectionem, solo excepto homine, qui, licet qua essentiam suam, speciem non mutet & verus homo, vel in ipso statu imperfecto sit ac maneat, in commercio tamen cum hominibus omni tristiori modo experitur, quod anima sua, qua intellectum voluntatemque, sensus item & affectus, millenis vicibus sit afflicta, in deterius versa, imo irremediabili fermè morbo subacta, ut in simul corpus etiam casibus millenis tristioribus, fatis & morbis subjiciatur. Unde concluditur, hunc hominem non ita creatum esse, sed perfectionem primam casu violento amissam esse. Ut taceamus, hominem in puris naturalibus relictum bestiam esse omnium fœdisissimam infelicissimamque.

§. XXI.

Hanc meditationem excipit sequens: Omnis legislator tenetur subditis suis tales præscribere leges,

§. IX.

His hæctenus positis satis elucescit, commu-  
niter tractatum jus naturale, quod scilicet ac-  
commodatur ad præsentem mundi statum, abu-  
sive ita appellari: Ita enim res comparata est,  
quod utique illi compilatores systematum &  
Compendiorum Juris naturæ laudabilem præ-  
stiterint operam, dum abstrahendo ab omni lege  
civilis solo rationis ductu exposuerunt justitiam  
& æquitatem in omnibus actionibus humanis  
observandam.

§. X.

Imo, non sum contrarius, quod certo respe-  
ctu illa elaborata possint dici jus naturale, si  
scilicet *res* naturale accipitur pro Synonymo æqui-  
bonique. Sic ex. gr. recte dicimus, naturale esse  
ut debitor solvat debitum, ut Commodatarius  
restituatur rem commodatam, ut conductor præ-  
stet locarium &c. *Es ist natürlich, daß der Schul-  
dener bezahle, &c.*

§. XI.

Hæc dicta probe pensitans insignem agno-  
scet distinctionem inter id quod æquum sive  
naturale in sensu vulgari est, & inter id quod ju-  
ris naturæ vere talis in primis fundamentis est.  
Quapropter descriptioni datæ §. VII. addet & in-  
seret vocabula: *In statu suo perfectionis.*

§. XII.

Benè hic prævideo, quantum jam in me  
suscipiam onus probandi, quod scilicet citra re-  
velatio-

velationem ex sola Philosophia sibi relicta demonstrari queat, hominem constitutum fuisse in statu à præsentis longe alieno & multo feliciori; nisi enim hoc fecerim ejusdem culpæ cum VALENTINO ALBERTI *Theologo olim Lipsiensi*, reum me facerem, qui scilicet statum integritatis in Sacra Scriptura enarratum in terminis terminantibus suæ doctrinæ Juris naturæ ceu fundamentum supposuit, & ex reliquis ruderibus imaginis divinæ suum Jus naturæ consarcinavit, à quo tamen longe me dissentire seriò profiteor.

§. XIII.

Præstandum igitur id ipsum erit, quod præmitto, imo illud præstabo, modo paucis genuinum omnium jurium conceptum præmittam, quo cuilibet, etiam eorum alias ignaro, constet, quæ speciebus jurium interfit distinctio.

§. XIV.

Liceat autem ab inferioribus incipere speciebus & ita pergere ad supremam, quam jus naturæ vere tale merito appellamus, & circa quam præsens versabitur meditatio.

§. XV.

**JUS CIVILE** itaque est norma illa, quam quilibet princeps in suo distincto territorio suis præscribit subditis, ut pro status ratione omnia feliciter peragantur: perpetuo tamen præsuppositis præceptis Juris verè naturalis, & veritatibus moralibus.

§. XVI.

**JUS GENTIUM** est norma illa universalis secundum quam Gentes in genere actiones suas dirigunt

*ad consequendam felicitatem.* Vél clarius: Est dī-  
ctamen recte rationis de eo, quod fieri vel non fieri de-  
bet ad acquirendum bonum & evitandum malum pu-  
blicum privatumque: Et in eo sensu Jus Gentium  
Synonymum est cum Jure Æquo & vulgariter  
sic dicto naturali.

§. XVII.

**JUS DIVINUM** est norma illa, quam **DEUS**  
in verbo suo revelato hominibus patefecit cum in finem  
ut se in certis quibusdam capitibus imbecillitate intelle-  
ctus excusare nequeant. Imò in eo hæret genui-  
nus conceptus diversitatis Juris verè natura-  
lis & divini, quod Deus, ceu Legislator totius  
Reipublicæ humanæ, in prima creatione mundi  
accommodaverit Leges naturæ ad illum statum,  
in quo citra peccatum formale civibus vivere  
poterant; Quod autem existente defectione, ob  
motus peccaminosos, varia positive prohibuerit,  
quæ antea in solo materiali mala non erant, jam  
autem ob accedens formale pro sua sapientia,  
Deus tolerare non potuit.

§. XVIII.

Tandem autem **JUS NATURÆ** verè tale est  
illa norma, quam **DEUS** in prima felicitate constitutis  
hominibus indidit, ut secundum illam vitam suam di-  
rigerent ad conservandam status sui perfectionem.  
Hincque frustra disquiritur de eo quod Juris  
naturæ est nec ne, nisi ad hunc statum perfe-  
ctionis oculi tendantur, & genuinæ propositio-  
nes inde eliciantur.

§. XIX. His

§. XIX.

His dictis abstrahendo ab omni revelatione ex sola ratione ducenda erunt argumenta probantia, homines jamjam non vivere in statu illo, in quo Deus ipsos vivere voluit, sed in statu hypothetico, & penitus corrupto. Sunt autem ea sequentia:

§. XX.

Deus omnium rerum creator sine dubio essentia sua est perfectissimus, ideoque non nisi perfecta & perfectissima creare potuit; imo in omnibus naturalibus, quæ infra, circa, & supra nos observamus, summam admiramur perfectionem, solo excepto homine, qui, licet qua essentiam suam, speciem non mutet & verus homo, vel in ipso statu imperfecto sit ac maneat, in commercio tamen cum hominibus omni tristiori modo experitur, quod anima sua, qua intellectum voluntatemque, sensus item & affectus, millenis vicibus sit afflicta, in deterius versa, imo irremediabili fermè morbo subacta, ut infimum corpus etiam casibus millenis tristioribus, fatis & morbis subjiciatur. Unde concluditur, hunc hominem non ita creatum esse, sed perfectionem primam casu violento amissam esse. Ut taceamus, hominem in puris naturalibus relictum bestiam esse omnium fœdissimam infelicissimamque.

§. XXI.

Hanc meditationem excipit sequens: Omnis legislator tenetur subditis suis tales præscribere  
leges,



leges, quas illi examussum servare possunt, nisi enim hoc fecerit, tyranni notam non evadit, qui leges publicat supra vires civium, eum in finem, ut in transgressores scire queat. Jam autem citra dubium, Deus legum naturalium sive principiorum nobiscum natorum autor est, voluitque, ut & sui cultus & conservatio propria & abstinentia à læsione proximi perfecte observaretur: Doçente autem flebili experientia contrarium, illa emergit conclusio: Homines præsentis non vivere in illo statu, in quo ex intentione summi legislatoris vivere debebant, sed longe alienos illos esse.

§. XXII.

Porro id ipsum demonstrat perpetua illa lucta carnis & Spiritus, quam ceu satis deplorandam ipsimet gentiles agnoverunt, confitentes, hanc luctam non esse à Deo T. O. M. sed principio malo, utut Diaboli, quem revelatio in terminis novit, nullam habuerint notitiam.

§. XXIII.

Quibuscum jungenda erunt illa, quæ illi ipsi gentiles de aureo finxerunt seculo, quo durante nimirum nec morbi nec inimicitia nec alia fuisse mala enarrant, noviora tempora ceu Ænea & ferrea damnantes descentesque. Audiamus omnium ad instar Ovidium Lib. I. Metamorphoseos Fabula III. ita canentem:

Aurea prima fata est ætas, quæ vindice nullo  
Spontè sua sine lege fidem rectumque co-  
lebat.

Pœna

Pœna metusque aberant, nec vineta minacia  
collo

Ære ligabantur, nec supplex turba timebat  
Judicis, ora sui, sed erant sine iudice tuti.  
Non dum præcipites cingebant oppida fossæ,  
Non turba directi, non æris cornua flexi,  
Non galeæ, non ensis erat, sine militis usu  
Mollia securæ peragebant otia gentes.  
Ipsa quoque immunis rastroque intacta, nec  
ullis

Saucia Vomeribus per se dabat omnia tellus,  
Contentique cibus nullo cogente creatis  
Arbor eos foetus, montanaque fraga legebant,  
Cornaque & in duris hærentia mora rubetis,  
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glan-  
des.

Et post pauca penitus contrarium scilicet fer-  
reum ita describentem :

Protinus irrupit venæ pejoris in ævum  
Omne nefas: Fugere pudor verumque fides-  
que

In quorum subiere locum fraudesque doli-  
que &c.

### §. XXIV.

Et quamvis forte objici posset Gentiles hanc  
meditationem hausisse ex traditione & commu-  
nicatione cum Judæis; non tamen deficient;  
quæ reponi queant, vel ad probandam impos-  
sibilitatem communicationis, vel ad demonstnan-  
dum, hæc meditantés scriptores suis solis inhæ-  
rere

rerè pensitationibus ; Quin, si & vel maximè habuerunt id qua doctrinam pleniorè a Judæis aliqui ; Eo ipso tamen nihil aliud efficitur, quam quod sancta revelatio ipsum illud etiam Jus Naturæ docuerit, atque sic, quod imperfectius agnoverant, ipso S. Codice magis illustratum sit.

§. XXV.

Imo non opus est, ut hæc tam longè petamus ; consideremus modo præsentem nostrum statum, in quo hominis miseria tanta est, ut ejus conditio quoad labores, victum & amictum longè miserabilior sit omni conditione brutorum, quippe quæ in diem vivunt citra curas & defectus, nec unquam, si suæ linquantur libertati, fame vel alio malo pereunt. Quis autem jam adeo obesæ naris esset, ut diceret hominem esse præstantissimam creaturarum, quas philosophia novit, insimulque diceret, illum ipsum hominem esse omnium creaturarum miserriam : Talia enim Contradictoria de Deo sapientissimo, hæc ita disponente, efferre, scandalosum & nefas esse defendo. Et quod dictu insipidum esset : Bruta in suis speciebus vivere tranquille & pacifice, homines autem se invicem lædere, infestare, & mordere divinæ providentiæ adscribendum esse.

§. XXVI.

Hanc deductionem mirum in modum sublevat consideratio fructuum hominis conservationi

tioni primariò inservientium, quippè qui non sine maximo labore & sudore è terra aratris præparata producantur, imo qui, nisi illo labore propagarentur, brevi temporis lapsu penitus extirpati essent. Cum contra omnia naturalia brutis inservientia ultro, citra humanam curam, in perpetua serie & connexione propagentur, continentur.

§. XXVII.

Satis, ut credo, quilibet agnoscit, me fructuum nomine indigitare frumentum stricte sic dictum, scilicet triticum, filiginem, hordeum, avenam, pisa, lentes, fabas & his similia. De his autem speciebus certo persuasus sum, quod, (liceat jam in subsidium vocare creationis historiam) comprehensæ sint sub illa benedictione: Die Erde lasse aufgehen Gras und Kraut, daß sich besame &c. Et dum jamjam terra per se illas non producat, clarum redditur, violentum aliquod accidisse, propter quod Deus benedictionem hanc suam aliquantulum retractaverit; liceat iterum historiam primam conferre, ubi invenimus hanc maledictionem: Verflucht sey der Acker umb deinet (scil. Adams) willen, h. e. *quoad portionem tuam*, in den proveni- tibus, die dir Hauptsächlich nütze sind, mit Kummer soltu dich darauf nehren dein Lebelang; Im Schweiß deines Angesichtes soltu dein Brodt essen: Et licet aliqualem suam adhibuisset operam homo, tamen citra incommoditatem id factum fuisset,

fuiſſet, & non ſecus ac videmus amoeni horti cultorem inſigni cum delectatione, licet non ſine opera, circa ſua verſari.

§. XXIX.

Sufficerent equidem hæc dicta argumenta, juvabit tamen & plura huc facientia referre, quorum haud immerito numerari poteſt, meditatio de ſine creati mundi. Sic etenim in a-  
prico eſt, hunc mundum non ab æterno exiſtere, ſed in tempore factum eſſe: Factum eundem eſſe primario in argumentum glorioſæ potentiæ divinæ, & ut aliquid eſſet hanc potentiam admiraturum, factum ſimul eſſe hominem, anima rationali præditum, vi cujus Majeſtatem Creatoris agnoſcere & celebrare poſſit: Factum porro mundum eſſe in eadem temperatura quatuor anni temporum, frigoris & caloris, ut & Clima-  
tum qualis jam jam illa eſt, & quidem ita, ut ubique perfectiſſimus inhabitatoribus ſiſteretur paradifus.

§. XXIX.

Nam qui ſobrie meditatatur, non, ut credo, ſibi imaginari poteſt, illam ſolam regionem Aſiaticam ad Ephratem ſitam Paradifum futuram; ſed potius concipiet, illam partem felicem terræ, in qua primi homines conſtituti, fuiſſe, teſtante revelatione, in Aſia, non denegata aliis orbis partibus qualitate paradifiaca.

§. XXX.

§. XXX.

Abstraham compendii gratia à Philosophia sibi relicta, & sequar historiam creationis biblicam: Sic invenio: Adamus & Eva erant in Paradiso: Genus humanum per illos propagandum erat, ita, ut universus eorundem semine impleretur mundus: Ex intentione Dei nunquam lapsurum erat genus humanum: Nam illud ipsum viribus omnibus sufficientissimis, tam in commercio cum Deo, quam in commercio cum hominibus, erat instructum, ut se adversus quamcunque inquinacionem & prævaricationem omnium sanctissime & integerrime tueri posset. Consequenter omnis multitudo hominum pari felicitate beanda erat: Paradisus Asiaticus illi sustentandæ non suffecisset, imò ea ratione, si nimirum forte id fieri potuisset, maxima pars mundi frustra creata esset: Hinc fuit firmissima propositio: Totum mundum ea intentione à Deo factum esse, ut perfectissimus in omnibus oris esset paradisus.

§. XXXI.

Imo nil obstat quin statutam, quaslibet provincias sua ratione paradisum repræsentare posse, si scilicet ea ultro, minimum labore delectabili ac gratioso, producat, quæ jam sudorifero labore eliciuntur, modo attendamus incolarum temperamenta iisque convenientia: Certo enim est indicio, ea, quæ in hac vel illa regione ordine naturæ non proveniunt, sed vel multo artificio plantantur, vel aliunde asportantur, istius Climatis incolis si non nociva

B forte

forte tamen nec tam proficua esse, quippe quos contentos esse decet illis fructibus, qui suo sub tractu cœli naturaliter, adhibita licet manu humana, progeminant.

§. XXXII.

Facile quilibet subolfacere poterit, cur hæc dixerim, nimirum ut prona consequentia concluderem: Hodie homines non vivere in eo felicitatis statu, in quo DEUS ipsos ex prima sua intentione vivere voluit, sed penitus ipsos in statum deteriorem delapsos esse.

§. XXXIII.

Patitur materiæ dignitas, ut plura cumulem argumenta, quæ licet separatim sumpta non omnem evincant veritatem, conjunctim tamen considerata non sine pondere erunt.

Aspiciatur igitur distinctio inter animalia fera & mansueta: An quis unquam sibi imaginari potest, DEUM Creatorem in prima creatione eandem stabilivisse? & annon potius sobrie rem perpendens judicabit: In prima origine rerum DEUM omnia animalia in una æqualique constituisse natura; unde concludendum, præsentem differentiam necessitate urgente ex artificio humano ortam esse, quo scilicet homo dominio universali & absoluto in bruta privatus, haberet in mansuefactis, quæ suo prompte inserviant usui.

§. XXXIV.

Et hæc cogitantem penitus persuadebit facta inductio animalium, quæ nunc dicimus mansueta, quippe quæ in omnibus speciebus  
ita

ita sunt comparata, ut inter fera certæ inveni-  
antur classes, ex quibus illa arte derivata esse  
apparet. Quæ autem forte moveri possunt in  
contrarium argumenta, tanta non sunt, ut me  
de ponte propellant.

### §. XXXV.

Primas tantum lineas me hic ducturum  
esse, promisi, quapropter licet hæc uberius de-  
duci queant, tamen progredior ad sequentia.

Sic itaque haud leve etiam ducitur argu-  
mentum à diversitate staturæ humanæ: Vix  
etenim credibile videtur, Deum in prima crea-  
tione aliter disposuisse, quam quod homines  
forma, figura, & statura æquales essent futuri:  
Unde sequeretur conclusio, modernam inæqua-  
litatem in robore corporis, membrorumque  
haud æquam in omnibus proportionem imperfe-  
ctionis haud contemnendum esse indicium.

### §. XXXVI.

De incommoditatibus nostræ humanitatis  
superius equidem quædam dicta sunt, ast li-  
ceat hic speciatim de morbis & ægrotudinibus  
tam corporis quam animi humani pauulum  
differere. Miserrime enim constitutus est ho-  
mo, dum omni tempore periculo morborum  
subjectus est, imo in ipsos illos incidit haud  
raro præter omnem culpam suam, & multoties  
ex culpa levissima, & quam non nisi à poste-  
riori, imo tunc vix quidem agnoscere potest.  
Et quod omnium calamitosissimum, sibi reli-  
ctus digna non potest mali invenire remedia.  
Contra bruta suæ libertati commissa vel nun-



quam in morbos incidunt, vel si forte incidere-  
 rint, violento illis illato malo, promptissima, di-  
 stante natura, adhibent medicamina. Ne quid  
 fufe dicam de affectibus animi ceu insensissi-  
 mis sanitatis & vitæ nostræ latronibus, quos in-  
 dubitatos habemus testes, infelicitatem nostram  
 in haud mediocri constitutam esse gradu, dum  
 nimirum eorundem moderamen supra tenui-  
 tatem nostram positum est.

§. XXXVII.

Non equidem deficerent plura his jun-  
 genda argumenta, verum, cum hætenus al-  
 lata tanti roboris esse putem, ut contrasenti-  
 entes convincere queant, illis nulla addam,  
 præter famosissimam illam considerationem di-  
 stinctionis dominiorum, quippe quam distin-  
 ctionem non à natura esse, sed indicium fa-  
 cere argumentumque status corrupti philoso-  
 phicum, saniores nobiscum confirmant. Imo  
 ipsos hac in parte non falli, res ipsa loquitur,  
 quia citra injuriam statui non potest, summum  
 creatorem in primordio rerum ejusmodi distin-  
 ctionem dominiorum ceu matrem tot Vitio-  
 rum & fontem multæ miseræ, intendisse,  
 stabilivisse.

§. XXXIIX.

Quantum igitur jam videre licet, ipsa sana  
 ratio consentit, imo apodictice probat, præ-  
 sentem statum mundi quoad homines à primo  
 esse longè alienum deterioremque. Unde  
 certò fluit de jure naturæ verè tali meditates  
 frustra considerare mundum præsentem, sed  
 oculos

Oculos dirigendos esse ad statum amissum, quo inde eliciantur vere juris naturæ propositiones. Hoc negotium autem multis obnoxium esse difficultatibus equidem prævideo, ast nihilominus pro virili illud suscipiam.

§. XXXIX.

Præmittenda igitur erit brevis delineatio status illius olim possessi, dicendumque, quantum per ratiocinationem mihi assequi licet, quibus in circumstantiis felicitis seculi vixerint homines. NB. Neminem offendat, quod solenniter rogo, me hic philosophice procedentem, statum felicitatis non adeo brevissimo includere tempori, indeque fingere, acsi multi homines unquam eodem gavisi fuissent. Quapropter non plusquamperfecto Conjunctivi sed perfecto Indicativi uti, causæ postulavit tractatio.

§. XL.

Quoad itaque essentielles partes, homines constiterunt ex corpore & anima, altera scilicet harum partium materiali, altera immateriali.

Immaterialis pars sive anima duplici operatione non secus ac hodie se exseruit, hac tamen in situatione: Intellectus fuit purus, omnium rerum & naturalium & moralium perfecte gnarus, imo in omnibus individuis accurate æqualis, probe tamen facta hac distinctione, an ad perfectam quis pervenisset ætatem, nec ne; Tempore enim à nativitate primo intellectus omnino se exseruit, imo in eo gradu, qualis ad conservationem pro tempore necessa-

rius fuit, successu autem ætatis majorem suam vim exhibuit. Seniores etiam Junioribus in eo prævaluerunt, quod experientia & factis, quorum memoria ipsis constitit, imo forte revelatione, magis inclaruerunt.

§. XLI.

Et ut explicatius mentem prodamus: In naturalibus, sciverunt omnium rerum virtutes, nocentiaque vitarunt, conducentia vero apprehenderunt.

In moralibus notitiam habuerunt folius boni, & in specie sola boni generosum exercuerunt arbitrium, hoc vel illud agendi, sciverunt etiam hoc, quod simulac normam hanc suæ perfectionis relinquerent, ac adversus eam prævaricarentur, malum ipsos esset invasurum; Conferatur commune dictærium: *Homines ante lapsum ita comparati erant, ut poterant non peccare non ita, ut non poterant peccare.*

§. XLII.

Perfecta itaque spontaneitate, quæ in sola specie boni exferebatur, egerunt homines: Et si jam, abstrahendo ab omni historia Sacra, philosophari licet, felicitatis tristis Catastrophe exinde orta esse videtur, quod incredulitate laborare inceperint & fide ac absequio summo suo Imperanti denegatis, ad malum versi sint, tunc enim curiositas & superbia & diffidentia & fluctuatio adversus moralitatem actionum hætenus omnino sanctam, tum ad contraria mala omnia lacesitos, omnium turpissime & rebellibus motibus inescavit atque infelicitatem

intro-

introduxit non modo actus, sed & habitus peccaminosi.

§. XLIII.

Stultissime autem à nasutulis quibusdam hic Deo aliquid imputatur; Si enim homines ita creasset, ut uniformiter & necessario agere tantum potuissent, omnis plane exspirasset moralitas, quam tamen existere oportebat, si bene vel male aliquid gerendum, & si gratia & laus secutura erat.

§. XLIV.

Sic constituta igitur situatione hominis non nisi unica conscientiae classis existit, scilicet RECTÆ, quod ex §. XLI. patescit: Ignorantia juris non adesse, & error in moralibus non subreperere potuit.

§. XLV.

Prætereaque multa quæ jam violento modo hominem ad mala protrudunt & impellunt, cessarunt, veluti in affectibus: Amor enim fuit purus & solius boni, sub se comprehendens contrarii aversionem non coactam: Gaudium se exseruit serenissimum de iis, quæ vero gaudio digna: Tristitia autem nullas habuit partes, odioque nullus relictus fuit locus in eo sensu, quo jam illud accipimus.

§. XLVI.

Sic porro temperamentorum diversitas huc referri solita, tunc longe alia fuit: Utut enim pro diversitate plagæ cæli homines aliter & aliter in materialibus dispositi forte fuerint; ta-

men in spiritualibus quoad animum & animam nulla plane existit diversitas. Quod ipsum dilucido potest esse argumento, adhuc in statu præsentis animam ita gubernare posse temperamentum, ut *minimum* non necessitet ad male agendum.

§. XLVII.

Tandem nec consuetudo nec ebrietas ut entia rationis in illo statu, ullius fuere momenti: Imo nec metus nec coactionis emergere vestigia,

§. XLVIII.

Hæc speramus pro rudi delineatione conditionis humanæ sufficiunt, modo adjecerim quæstionem: An & quâ normâ directi vitam vixerint homines? Ad quam breviter respondendum: Sine norma cessasse moralitatem vid. §. XLIII. Constitisse autem eandem in perfecta boni & mali cognitione, ut & voluntatis divinæ scientia, quam sine dubio DEUS ipse immediatis revelationibus declaravit & confirmavit.

§. XLIX.

Hæc norma igitur omnibus ob oculos versata fuit pro virtute intellectus: Seniores autem, ut multorum factorum memores junioribus ea uberius ponderanda propinarunt.

§. L.

Subjungenda hic autem merito veniunt aliqua, circa hominem necessario meditanda, veluti de vitæ ejus subsidiis & levamentis, ut & de morte. Quod itaque attinet vitæ subsidia, adeo clarum esse credimus quam quod clarissimum;

num : DEum præstantis hujus creaturæ autorem noluisse, ut illa sola miseram & calamitosam viveret vitam, sed ut singulariter felix & frugalis illam transigeret. Locavit itaque hunc hominem in paradysum, hoc est in mundum omnia in superlativo producentem, quæ ad cibum & potum poterant esse necessaria. Confer. ea quæ superius dicta sunt de paradiso.

§. LI.

Imo quid proprii sibi assumserint homines clarissimum est, scilicet eas fructuum species, quas hodie in nostros usus specialissime, utut duro labore & insigni artificio convertimus & quæ tunc ultro, non secus ac aliæ herbæ & gramina in usus bestiarum, sine ferè humana manu copiosissime & sufficienter creverunt; Præterea etiam jure dominii occuparunt teras, volucres & pisces, levi in capturam impensa opera, horumque carnibus usi fuerunt.

§. LII.

Et ut de corporis habitu & tegumentis pauca dicam, probabile satis est, beneficam naturam hoc est DEI providentiam vel hominum cutes adeo reddidisse duras, ut tempestatum fuerint patientes; vel etiam alia ratione, ipsis pro prudentia assignasse alia tegmina.

§. LIII.

Tandem ut de morte judicemus: Multorum equidem eruditorum, potissimum Theologorum, est sententia, homines in statu illo felicitatis mortem passos nunquam fuisse; Ast contrarium videtur ob multas rationes, verius:

Quaproptea statuendum esse reor, homines illos felices crevisse, adolevisse, sineque impedimento morbi & læsionis ad perfectam pervenisse ætatem, in ea stetisse, tandemque justo à DEO per naturam statuto termino, animaque vegetativa officia denegante, animam à corpore separatam esse.

§. LIV.

Annon autem fortean DEO placuerit loco mortis homines effectos in alium mutare statum, vel aliorum totos transferre hoc rationis non est determinare, quippe quæ omnipotentia divinae limites non ponit, voluntatemque ejus sibi cognitam non esse confitetur. Indeque quod attinet statum post hanc vitam ignorantiam suam Philosophia ingenuè prodit, hoc interea firmiter asserto, in vitæ ordinariæ continuatione homines manere non potuisse, pro hujus mundi capedine. Sed dicta hæc sunt salvis Theologorum sententiis.

§. LV.

Constituebam eqvidem in hæctenus dictis pro præsentis tempore acquiescere & specialiorum tractationem postmodum communicare; Verum ne lectorem penitus in suspenso relinquam, juvabit primas officiorum hominis duxisse lineas, quarum limatiorem efformationem in futuris promittimus meditationibus.

Quod itaque attinet

OFFICIA HOMINIS PERFECTI ERGA DEUM,

Tribus illa sunt exponenda, scilicet ea constituisse in peretpua celebratione Creatoris omnium rerum,

rerum, & providentis earum gubernatoris & conservatoris : In *gratiarum actione*, laude & admiratione. In perfecto *amore & observantia* præceptorum divinorum, sive per solam rationem, sive per revelationem communicatorum : In *acquiescentia* in suprema directione & providentia.

§. LVI.

Quibus autem signis externis hunc cultum, declaraverint homines, hoc Philosophia determinare non audet ; Utut sacrificiorum oblationem & usum nullum fuisse declaret Confer. FRANTZII *Schola Sacrificiorum disput. 1. & 2.* Imo tantum ceu clarissimum statui potest, speciales conventus ad hanc cultum peragendum adornatos fuisse.

§. LVII.

Quod concernit

OFFICIA HOMINIS ERGA SE IPSUM.

Unico illa comprehendendi possunt commate, scilicet eadem constituisse in conservatione vitæ & felicitatis : Quæ conservatio facillime fuit, pro notitia omnium salubrium & nocivorum. Laborandum itaque fuit, sed sine sudore & absque incommoditate.

§. LVIII.

Propero atque devenio ad

OFFICIA HOMINIS ERGA ALIOS.

Æqualitate igitur omnimodè inter homines perfectos stante, cessarunt officia superiorum erga inferiores, nam utut aliquale directorium seniorum in juniores admitti queat, non tamen vel domini vel subjectionis vera apparent vestigia.

§. LIX.



§. LIX.

Primarium igitur officium erga alios in eo consistit, quod omnes sese æqualiter tractaverint, excepta patribus familias exhibenda ultronea reverentia.

§. LX.

Laesiones verbis vel factis emergere non poterunt, vi ipsius observatæ æqualitatis & ob perfectissimum amorem proximi: Hisque stantibus nulla ad resarcienda damna fuit obligatio.

Circa possessiones rerum litigia non fuerunt orta, in perfecta enim communione bonorum & omnimoda vixerunt sufficientia, solaque occupatio pro tempore necessariorum, utilium & jucundorum induxit dominium, citra tamen ulterius, idem & simile habentis, præjudicium.

§. LXI.

Pacta & contractus celebrare non debuerunt, nisi forte permutatione alter ab altero occupata, sua fecit; Ut ut ne hoc quidem statuere opus sit, quia nemo plus necessario occupavit, & cuilibet idem habere integrum fuit.

Quotquot igitur jam dantur contractuum & pactorum species, ea tamen omnes status sunt hypothetici: Et his stantibus, nec dolus, nec metus, nec vis, in censum venerunt.

Imo ut specialissimi quicquam dicamus insignis illa controversia: *Utrum testamenta sint juris natura?* hic finalem suam habet decisionem negativam.

§. LXII.

Propagationem generis humani quod denique

nique attinet, simplicissime factam illam fuisse persuadeor, h.e. officia masculorum fuisse, foeminas habiles & nondum imprægnatas nec amplius lactantes iterum imprægnare: Quod ipsum equidem imperante natura, sed etiam dirigente ratione, sine tamen motibus pravis factum fuit, non secus ac in brutis observamus, quæ certis temporum stationibus generationi student, alio autem tempore nihil in id negotium frustra impendunt: Unde non adeo contemnenda est eorum sententia, qui bruta nullam ex cohabitatione percipere voluptatem contendunt.

§. LXIII.

Hæc autem circa hominem perfectum in negotio procreationis ceu vera & singularia ob-  
venerunt:

*Quod* ratio propagandi cum moderna una fuerit eademque.

*Quod* non vagos exerçuerint concubitus, sed quod unus uni se junxerit, eamque sibi soli habuerit sociam, quod inde elucescit, quia amor humanus fuit rationalis, & quia multum temporis proles humana requirebat, donec fieret perfecta; Ne igitur onus educandi in solam redundaret matrem, patrem oportuit esse certum, qui prolis suæ haberet curam.

§. LXIV.

Notanter dixi, uni unam junctam fuisse, unde patescit, Polygamiam in statu juris naturæ exulasse, & quidem ipsa natura imperante, si quidem DEUS duos tantummodo creavit sexus, & in utroque sexu individua numero æqualia,  
adco

adeo ut impossibile fuerit duas sibi habere uxores. Videatur hoc fuisse demonstratum in *Dissertatione mea de Polygamia Sect. II.*

§. LXV.

Ut autem plura memorem singularia, statim à pubertate masculi & fœminæ negotium procreationis inchoarunt, non enim tunc opus erat expectare, donec requisitis etiam Oeconomicis instructi essent, quia omnibus omnia suppetebant. Porro singulare fuit,

*Quod* Maritus non fuerit dominus uxoris, sed socius æqualis : Contrarium enim statueré ejusdem est absurditatis, ac si asseramus fœminas esse homines subalternos, quarum anima rationalis equidem sit, at gradu masculina inferior.

*Quod* soror & frater nunquam conjungi poterint per naturalem connexionem; Nam pubere fratre non dabatur ejus soror pubes, si scilicet post eum nata; si autem ante eum nata iterum eidem jungi non poterat, siquidem nec amplius erat vacans duobus scilicet annis ante ipsum nata. Verum videsne B. L., hanc demonstrationem aliqua laborare obscuritate, quam in præsentiarum ob brevitatem dispellere non licet, quoniam biceps sub incudem Vocanda est controversia, altera: quonam in momento ætatis plena sit collocanda pubertas? Altera, an in statu perfecto nati etiam fuissent gemelli? Verum B. L. facile subolfacis hanc demonstrationem, quoad fratres & sorores multum claudicare; Et qui non claudicaret, quia philosophia sibi relicta non potest liquida dare hujus capituli argumenta

menta prohibentia. Immo non opus est, ut nos circa illud angamus, nam sufficit Jure divino incestuosum esse istiusmodi concubitus, h. e. mutato Reipublicæ humanæ statu, DEum Cohabitationem fratrum & sororum pro sapientia sua prohibuisse, postquam ad procreationem sobolis in statu perfecto materialiter tantum peractam, accessit formale pravæ libidinis & lasciviæ. *Conf. ea, quæ dicta sunt supra, §. 17.* Non autem volo, ut hæc dicta extendantur ad Parentes & liberos, siquidem circa eorundem cohabitationem stant ea quæ §. sequenti dicentur. Ut taceam, quod singulare quid in ipsis personis parentum & liberorum huic negotio concubitus contrarium certissimè deprehendatur.

§. LXVI.

Quæ hanc excipit demonstratio, clarior est: *Quod* scilicet Parentes & liberi nunquam poterint invicem evadere conjuges; nunquam enim Pater viduus factus fuisset, & per consequens uni fœminæ jam junctus nunquam filiam uxorem adsciscere potuisset.

Prouti & reliqua capita & gradus vere prohibiti parili possunt ex natura deduci facilitate.

§. LXVII.

Præter hæc nihil in censum juris naturæ vere talis venire potest, utut dicta uberius deduci queant, id quod mihi serio reservo. Tantum igitur evidentissimum esse reor, in præsentis mundi statu multa male & obtorto collo trahi ex isto jure naturæ, cum tamen alia via sit incedendum, scilicet posita generali consideratione mundi & hominum quales jam jam sunt

digne

digne judicandum, quid jam ad acquirendam & conservandam publicam & privatam salutem, quanta illa etiam in hac miseria esse unquam potest, sit statuendum: Et hæc meditatio dicitur jus gentium vel abusive jus naturale, scilicet *Ein natürliches und billiges Recht*. Imo ex illa meditatione, quia non omnibus datur penitius hæc intueri & maxima occurrit varietas pro diversitate status rationis, capiunt summi Imperantes occasionem & fundamenta juris positi sive civilis, prouti ipsa Sacra Scriptura & legis inibi publicatæ firmo sunt indicio, homines jam non vivere in statu primo, quia in illo lege istiusmodi positiva scriptis & tabulis comprehendenda non indignissent. Quod ipsum argumentum superioribus accenseri meretur, juncto hoc generali, quod ipsa fluctuatio circa vera principia justii, homini obrepens, sit signum status imperfecti, quia lex in se perfecta est, in subjecto autem concipiente videretur esse imperfecta.

§. LXVIII.

His dictis itaque acquiesco, & promitto limitationem juris gentium tractationem h. e. deductionem sobriam, quid ex sola ratione, oculum dirigente ad statum præsentem, justum injustumve sit.

Tandem repeto iterum iterumque id quod supra dictum est, scilicet hanc dissertationem non ea propter evulgatam esse, ac putem me in omnibus ultimam veritatis attigisse lineam, sed ut eruditioribus dem occasionem, hanc problematicam deductionem sine felle uberius meditando.

T A N T U M.

CL. THEOLOGI ET ICTI <sup>#2</sup>  
PAGANINI GAYDENTII <sup>10. c.</sup>

IN ACADEMIA PISANA  
ELOQVENTIÆ PROFESSORIS

# PRÆLECTIONES

IN C. IV. VITÆ

CN. IVLII AGRICOLÆ

ACCEDVNT

NOTE

AVGVSTI BVCHNERI

IN IDEM CAPVT

PRÆLECTIONES

ILLVSTRANTES

RECENSVIT

IO. HENR. ACKER.

SERENISSIMI DVCCIS SAXO. ISENACENSIS

SECRETARIVS.

---

IENÆ

SVMTV IO. PHIL. LINDNERI

MDCCCXVIII.

GENEROSIS NOBILISSI-  
MISQVE  
DOMINIS  
CHRISTIANO  
DE VFFEL  
IO. GEORGIO  
DE TROIFF  
IOACH. HENR.  
DE TETTAV  
IO. GEORGIO  
DE BEVLWITZ  
ILLVSTRI STIRPE  
EQVITIBVS

S. D.

IO. HENR. ACKER.



**F**ili ponendum in ma-  
 gno bono est; auitis  
 nominibus esse gene-  
 rosam: longe tamen  
 censetur maius parentum decora fe-  
 liciter referre; vel genus ipsum mo-  
 rum nobilitate exuperare. Per hanc  
 enim demum nobiles ab aliis secer-  
 nuntur: hac duce, etiamsi fortuna  
 comes statim non sit; summa tandem  
 consequuntur omnia. Quam in rem  
 egregie scripsit ad Horatium Moro-  
 num Paullus Manutius \* *obscura loco* \* *lib. XL.*  
*nati, si dignum laude nihil prestant,* *ep. 14.*  
*vicio non datur; demosthenis enim lac-*  
*zebris desidia regitur: a nobilibus*  
*autem, quasi debita res exigitur vir-*



*sus; eam si habent, vere nobiles dicuntur; si secus illa ipsa a maioribus accepta nobilitas dedecus & culpam auget.* Quod accurate apud animam perpendentes maiores VESTRI; quorum & frequens & grata recordatio vobis quotidie mille voluptates, easque solidas in animo parit: præcepta virtutis semper in pretio & conspectu habuerunt; atque decus, gloriam, dignitatem, fortunam vno tenore ad supremum vitæ haktum produxere. Per horum vero vestigia decurrere vos vidi ab illo tempore, quo nata inter nos litterarum studiis amicitia, & constans animorum coniunctio. quod pluribus declarari posset, si res verba desideraret, ac non per se ipsa loqueretur. Quem enim multæ illæ suauitates ingenii, officii humanitatisque VESTRÆ fugiunt, quibus quam proxime ad illa, ex quibus ducti & propagati estis, exemplaria acceditis? **Remus mihi in communibus his litteris occurris. CHRISTIANE DE**  
**VEFFEL**

VFFEL sanguine pariter atque ingenio generoso commemorande. Dudum est quodquam in te singulares virtutes sunt, ab aliis mihi laudatas, admirari atque colere coepi: cum, vero Te πολιτικώτερον quæque seculari viderem propius; crede mihi ad pristinum T.VI amorem tantus cumulus accessit, ut in præcipuis TE haberem, qui claros natales suos ingenii lumine reddituri essent illustriores. Quæ semel tradita non solum celeriter accipiebas; sed & expeditissime depromebas e pectore: neque a bonis sententiis auerti & ad prævas opiniones traduci potuisses, etiam si ipsi sapientiæ dictatores dubia mouissent. Ita vero TE non præcipitasti in altiores disciplinas; ut plures faciunt, relictis aut superbe sprejis sapientiæ doctrinis; sed bene præparatum pectus attulisti ad iurisprudentiæ studium, quantum illecebrarum ex splendore, tantum asperitatis ac tadiorum habens, si non frigidius & perfunctorie, sed sol-

licita mentis intentione excolatur. Tacitus nunc præteruehor illam in consuetudine & familiaritate suauitatem, qua tamquam blanda animorum conciliatricula, summorum hominum opinioni fuisti commendatus. Quantum TVVM extiterit studium conficiendi gloriæ cursus, generosissime DE TROIFF nemo est in hac Academia qui ignoret. Quemadmodum recte sentire prudentiæ; dextre facere fortitudinis; & sentire vero & facere perfectæ cumulataque virtutis est: ita rectas de rebus sententias cum virtutis exercitatione coniuncte voluisti contexere; ut ad perfectissima quæque contendere videreris. Quando alii in vino vixerunt; aut, ut facilius esset decursus temporis, susibus fuere dedisti; tu horas illas melius poni posse ratus omne genus historicorum peruolutasti, ex quibus consilia manant, & leges atque argumenta prudentiæ hauriuntur. Progressus etiam in hoc studiorum genere feci-

fecisti felicissimos; nactus viarum per-  
 ritissimum ducem *Burcard. Gotthelf.*  
*Servuim*: qui, ut sudat pro commu-  
 nibus commodis, ita ab omnibus di-  
 ligitur, a me vero ut amplificator stu-  
 diorum, & defensor contra invidos fa-  
 mæ colitur & honoratur. Si existe-  
 ret ab inferis parens TVVS, cuius  
 corpore terris mandato vitam & vir-  
 tutem immortalitas excepit; TE que  
 in vestigiis suis stantem, immo potius  
 contento studio cursuque ingredi-  
 entem cerneret; qua TE benevolen-  
 tia complexurus esset imaginem ani-  
 mi corporisque sui? quibus verbis ad  
 ampliora excitaturus? Ad TE cum  
 venio IOACHIME HENRICE  
 DE TETTAV, vberissima adest lau-  
 dis materia: eaque moneor profer-  
 re, quæ non modo TIBI, ad quem  
 præcipue pertinent; sed generosis  
 parentibus ad famam sunt gloriosa.  
 censetur enim non immerito filio-  
 rum virtus genitoribus honori & glo-  
 riæ esse. Accedebas ad me per com-

mendationem illusterrimi viri *Bern-*  
*hardi Pflugii*, summa inter heroas  
 rogatos gloria florentis, plurimas-  
 que res pro potentissimis principibus  
 explicantis: & tam accederes indu-  
 striam, simul ac laboris oculis prius  
 quam opinione, manibus ante quam  
 confectione deprehendi. Neque non  
 politus est vita TVAE habitus: facis  
 quae unicuique intelligis maxime esse  
 accommodata: in quo severitatem &  
 comitatem ita misces; ut nec illa in-  
 tristiam, neque haec in perulantiam  
 procedat. Quod tam in vita quam in  
 studiis pulcherrimum humanissimum-  
 que existimatur. Ita vero agere decet  
 domi tot habentem ad virtutem &  
 laudem incitamenta, & quosunque  
 oculos vertat, invenientem Maronia-  
 nus ille stimulum:

*Te pater Aeneas, & annulus ex-*  
*citet Hector.*

Neque aut TVORVM spe ac fiducia,  
 aut splendore natalium indignus de-  
 prehensus generosissime DE BEVL-  
 WITZ.

**WITZ:** Quod Papinius Statius \*\* *lib. IV.*  
 de Victorio Marcello, qui tam a pa- *Silu. IV.*  
 tre nobilis, quam materno stemmate  
 felix erat, prædicavit; eum & forma  
 & animis fuisse egregium: id de TE  
 adfirmare licet sine omni suspitione  
 adulationis. Eximius oris decus, sin-  
 gularis in gestu suavitas, sermo sepo-  
 re ac venustate affluens, & quod de  
 Poliarcho finxit Barclæus, \*\* omnes \*\* *in Ar-*  
 motus, omnes natus lætandi. Quibus *genide*  
 cum accedant animus candidus, nullis *lib. I.*  
 que simulationum involucri tectus,  
 generosus utilia & pulera discendi ar-  
 dor; quis miretur TE amari charum-  
 que haberi ab omnibus, quibus comi-  
 nus TVI conspiciendi copia contigit?  
 Quæ non adumbrata sed expressa vir-  
 tutum optimarum signa cum in VO-  
 BIS perspexerim; atque præterea  
 honestissimis rationibus VOBIS sum  
 obstrictus: cogitare cœpi, quo pacto  
 publice monumentum quoddam po-  
 nerem; quo tam egregia illæ animi  
 dotes, quam VESTRA in me collata be-  
 neficia

A ;

neficia

neficia celebrarentur. Verum sterilior  
 adhuc fuit, Musa mea, quam ut in lu-  
 cem proferret; quod doctorum viro-  
 rum conspectum sustinere posset:  
 neque tamen pro eo, quanti Vos fa-  
 cio, diutius potui tacere. His de  
 causis opusculum aliunde acceptum  
 offerre constitui; ut excitatissimis ve-  
 stris ingeniis non indoneum, ita mihi  
 necessarium documentum; quo o-  
 stendam merita vestra altius descen-  
 disse, quam ut possint ex memoria  
 euelli. Accipite alacri & lubenti ani-  
 mo, ut aliquid si non ad lætitiæ animi  
 præstans, tamen ad memoriæ diutur-  
 nitatem stabile: atque singulari com-  
 modo Vestro discite, quis modus in stu-  
 diis, qui fines, ultra quos procedere,  
 non tam sapientiæ, quam manifestæ  
 habetur stultitiæ. Divina virtus VOBIS  
 præsens semper adsistat, tempestatem-  
 que invidiæ, optimas sæpe spes de-  
 cerpentis, a fortunis ac cervicibus ve-  
 stris auertat. Valete.

COR-

CORDATE LECTOR.



**Q**uodriennium  
 effluxit, ex  
 quo clarissi-  
 mus vir Ge. Nicolaus  
 Kriegk studiis huma-  
 nitatis insignem lau-  
 dem promeritus Paga-  
 nini Gaudentii obste-  
 rricem litterariam, ob  
 præstantiam & argu-  
 mentorum, quæ in ea  
 insunt, nobilitatem be-  
 neficio ac concessu  
 ve-



venerabilis Theologi  
 Io. Gottfried Olearii  
 operis typographorum  
 commisit.  
 Cum hoc pares ego  
 causas attexere pos-  
 sum, quæ perpellunt,  
 uti has in locum Taciti  
 prælectiones, quibus  
 æternitas debetur, non  
 patiar intra paucorum  
 conscientiam esse, sed  
 in publicum & multo-  
 rum noticiam produ-  
 cam. Scripto intende,  
 gra-

grauitate & prudentia  
 præstans est: quid  
 quid argumentorum  
 est vide, quam e sci-  
 entiarum visceribus a-  
 nimatur? adspice lo-  
 cum, quem illustrat,  
 omnia explicata atque  
 expedita: vide fontes,  
 manant dicta puris-  
 simis venis: rationem  
 differendi intueri, æ-  
 mula Carneadis\* atque  
 summorum ex Aca-  
 demia Sapiantum\*\*

\* Grotius  
 in proleg.  
 I B. & P.  
 §. 5.  
 \*\* Minut.  
 Felix c. 19.  
 cum notis  
 Cellarii.

Quid

Quid loquar diuitias  
 orationis, quas, si bene  
 os imbutum habes a-  
 quis eruditi Latii, non  
 poteris non admirari?  
 Iterato igitur in lu-  
 cem processu, ut fama  
 renouetur, dignissi-  
 mus est tanti viri  
 labor: mihi imprimis  
 feruens, ubi sub ex-  
 emplis ostendendum  
 genus disputandi, quo  
 & caute indocti uti pos-  
 sint, & docti gloriose.

De

De cetero prouisum  
 esse rationibus tuis  
 quam optime senties,  
 deuota politioribus  
 studiis iuuentus, si  
 attentissimis animis  
 euolues, quæ theolo-  
 logi memorabili  
 pietate & doctrina  
 præditi, certissimique  
 patroni mei Adamus  
 Rechenbergius & Io.  
 Franciscus Buddeus  
 præceptor omni hono-  
 ris

ris cultu profequen-  
 dus in dissertationibus  
 suis elegantissimis \* de  
 constituendis studio-  
 rum finibus sapienter  
 monuere. Vale, cor-  
 date lector, & æqua-  
 nimitate TVA meam  
 ad scribendum indu-  
 striam auge.

\* in differ-  
 tat. virum  
 paucis  
 philoso-  
 phandum?  
 & de  
 cultura  
 ingenii.

DE IIS

QUI EX SAPIENTIA ET PHI-  
LOSOPHIA NON RETINVE-  
RVNT MODVM.



**D**ifficillimum cum  
sit, pronuntiante  
Tacito, retinere ex  
sapientia modum,

haud dubie non pauca compor-  
tari queunt ex bonae frugis scri-  
ptoribus, historicisque, quae o-  
stendant veritati litasse vitae Iulii  
Agricolae narratorem, quando  
sic loqui non dubitavit. Agite  
ergo me per campum variae le-  
ctionis vagantem cogitando se-  
quimini, conditeque memoria,

B

quae

quae VOBIS rem gratam facturus depromere aggredior. Dari autem veniam cupio meae in excerpando libertati, neque anxie ordini accurato se patitur alligari. Prodeat primus Solensis Chrysisippus, qui limites sapientiae transgressus, ut multos conflaret libros, aliena compilabat scrinia, ceterorum plumis, ceu Æsopica cornicula se ornabat. aggrediebatur scilicet de eadem re saepe scribere, (si fides habenda Laertio) omneque quod incideret, mandabat litteris, ac saepe emendabat, magnaue testimoniorum nube utebatur. id autem in consuetudine habuit a deo, ut cum in quibusdam opusculis Euripidis Medeam totam inseruisset, & qui-

quidam habens librum in manibus interrogaretur, quidnam inesset, Chryssippi, inquit, Medea est; Apollodorus quoque sic edixit, si quis tollat de Chryssippi libris quae aliena sunt, vacua illa charta relinquetur. Nonne Stoicos in genere omnes par est dicere, ex sapientia nequaquam retinuisse modum, quandoquidem suum sapientem eiusmodi caractere descriperunt, ut nusquam haecenus repertus sit, neque reperiendus videatur deinceps. Paradoxa quoque sapientiae metas neglexerunt, adeo ut asserere non dubitavit Plutarchus, incredibilia magis decerni a Stoicis, quam fingi a poetis.

B 2

Cum



Cum vero austerus nimis & seuerus Cato Uticensis sectaretur Stoam, non dubitauit Cicero in oratione pro Muraena eum nimiae philosophiae nomine perstringere, licet modeste. Te, inquit, praeceptorum studiis flagrantem leniet dies, aetas mitigabit. Nam isti ipsi mihi videntur vestri praeceptores fines praeceptorum paullo longius, quam natura vellet protulisse.

Stoicorum genus Cynici impegerunt ad hunc lapidem, & absque modo sapientes fuerunt, si sapiens dici potest, qui sapit absque modo. nam constat eos consueuisse aram & marginem aliquam inscendere, inque hominum mores elatrare incondita ratione, quod colligere est ex  
 verbis

verbis Tertulliani de pallio, dum inquit idem pallium : soleo de qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere. Laudandus, qui medicinas moribus facit, sed num Cynici commendandi, qui perinde ac si circulatores forent, aut Harioni, passim plebeculam in triuiis garriendo, & quidlibet effutiendo alloquebantur : decet enim vero philosophum esse grauem & argutum, nec temere sua dicta vulgo committere. Certe Cynicorum occursum declinabant lubenter, qui plebei prorsus non erant, & vitabant propter amaram & acerbam, qua in loquendo utebantur, libertatem.

Rursus modum ex sapientia retinere est negandus ille, qui

B 3 ni.

nimia intentione mentis philosophicae contemplationi vacat, adeo ut ad ciuitatem videatur euadere ineptus. hinc mirari nos non decet, si apud Persium quidam ex eorum numero, qui immodicam quorundam philosophantium diligentiam irridet, sic loquitur Sat. 3.

*Quod sapio, satis est mihi: non  
ego curo*

*Esse quod Arcesilas, aerumnosi-  
que Solones.*

Sic notat indefessa studia, & continuas vigilias, quibus aliqui se quasi aerumnosos reddebant. pergit ibidem.

*Obstipo capite, & figentes lu-  
mine terram*

*Murmura cum secum, & rabio-  
sa silentia rodunt.*

Im-

Immodice profecto philosophantur, qui attoniti incedunt, prorsus fixi, rigido atque immoto collo. tenent quoque pupillas oculorum immotas. quam immodicum etiam illud est, si cogitatio inter meditandum murmure agitur, certe furiosum plebs esse putabit talem hominem.

Nonne eo deduxit seriam nimis contemplatio Porphyrium, ut insanus vitam cum morte commutare voluerit inedia? Eunapium audite: Porphyrius concepto humanitatis odio quodam, transmisit in Siciliam, quod neque Romam in oculis ferebat, neque voces hominum amplius admittebat. Mox subiicit: iacuisse in suspiriis, inedia

se macerasse, cibusque nihil admisisse, praeterea humanam contortionem & accessum prorsus declinasse, καὶ ἀνδραπέπων ἀλέειων πάτον.

Quodsi priuatos homines merito dicimus peccare, quando ex sapientia non retinent modum, id multo magis de regibus, principibusque est par. Regibus autem inmodicum cognitionis studiū, & scientiae illius, quae in contemplatione consistit, inutile esse, nemo facilius, quam decimus inter Castellae, nonus inter legionis Regas Alphonfus, clarissimis experimentis ostenderit. Philosophiae ille quidem fuit, Astronomiaeque peritissimus, qua de scientia volumina posteris locuple-

pletissima reliquit, regnavit ta-  
 men infelicitè: factus a studiis  
 rerum sublimium, occultarum-  
 que suspensae mentis, & inci-  
 pit in re quavis explicatissima  
 cunctationis. incidit regnum  
 Alphonsi in annum Christi 1253  
 & sequentes. ad annum autem  
 1280. non deest qui sic scribat.  
 Indormierat procacis filii arti-  
 bus Alphonsus; cum contem-  
 plando coelo, siderumque mo-  
 tibus dimetiendis occupatum fi-  
 lius & laudaret impense, & se,  
 ne eius otium turbaretur, omnes  
 subiturum tantae administratio-  
 nis fluctus polliceretur. Plura  
 nunc non recito, cum prostant  
 a quovis legenda, observanda-  
 que principibus, ne neglecto  
 sapientiae modo patiantur se a

*Bonbinus  
 breuiar.  
 Rerum  
 Hispan.  
 p. 146.*

B 5            vasis

vafriſ filiiſ, aſtutiſque proceriſ-  
 buſ imperandi cupidiſ circum-  
 veniri.

*Iouiuſ in  
 Baia 2.*

Nam & Baiazetes ſecundus,  
 rerum geſtarum gloria hacte-  
 nuſ felix, & imperio & vita ex-  
 cidit deiectus a filio Selymo,  
 quod omiſſiſ bellis, incumbere  
 quieti ac philoſophiae coepiſſet,  
 praefertim vero doctrinae Auer-  
 rois qua ſummopere delectaba-  
 tur. Coſchutus quoque tertiuſ  
 ex filiis Baiazetis contemptuſ eſt  
 a praetorianiſ militibuſ, poſt-  
 poſituſque Selymo, quod in  
 Magnesia non procul a Rhodio  
 littore philoſophiae, ac rerum  
 contemplationi operam daret.

Quibuſ difficultatibuſ ſupe-  
 rioribuſ anniſ inuolutuſ eſt Ru-  
 dolphuſ ſecunduſ imperator,  
 quod

quod latebrarum amans sidera-  
 li scientiae, chymicoque studio  
 vacaret non exulta regni curae?  
 Fratres profecto, quorum ma-  
 ior Matthias, iniuerunt pactum  
 de non deserendis Augustae fa-  
 miliae rationibus, quandoqui-  
 dem animaduertebant Caesa-  
 rem veterno cuidam, & reipubl.  
 negligentiae esse immersum.

Adde hisce ex nouissimis  
 Mantuae ducibus eum, qui al-  
 tercationibus philosophorum in  
 scholis se admiscebat, argu-  
 mentando, argumenta soluen-  
 do, perinde ac si umbraticus  
 foret doctor. Administrationem  
 interim publicam, per socor-  
 diam, perque alienas curas in-  
 super habebat. hinc turbo in-  
 gens Montisferrati inuasit ditio-  
 nem,




nem, quibus malis obuiam iuē-  
rat, ne ingruerent, olim dux  
Vincentius.

Nimius etiam in litteris, in  
libris fuit Iacobus magnae Bri-  
tanniae Rex, edidit enim versi-  
culos, scripsit libellos de rebus  
fidei, quos etiam principibus  
obtulit legendos, quod nequa-  
quam e dignitate regali esse vi-  
debatur.

Memorare quoque liceret,  
quandoquidem nouissima tem-  
pora attingimus, aliquos splen-  
dore natalium cum quouis in  
Italia comparandos, qui mo-  
dum nescientes retinere ex phi-  
losophia abiecta per ignauiam  
trepidumque pauorem erga  
suam familiam sollicitudine  
glebae se affixerunt, ergastulo  
man-

manciparunt, rati non posse ex  
 animi sententia philosophari,  
 nisi umbraticis adscriberentur  
 magistris, indigni prorsus qui  
 magnanimorum ducum, mili-  
 tia rebusque fortiter prudenter-  
 que gestis clarorum, adpellen-  
 tur nepotes. nec tamen absque  
 defensione dimittendi sunt,  
 quandoquidem contemplationi  
 rerum diuinarum ut possent in-  
 haerere liberi, absque omnibus  
 negotiorum turbidorum com-  
 pedibus soluti, non dubitarunt  
 aliorum arbitrio suam subiicere  
 voluntatem, diuitias omnes, vi-  
 taeque coniugalis iugum mis-  
 sum facere, fastum saecularem,  
 popularitatis splendorem sub  
 pedibus terere, Deo soli insuper  
 habitis hominibus sua vota pro-  
 bare.

bare. quae subiicere lubuit ne  
quis ex propria animi sententia  
praecedentem reprehensionem  
declamatam putet, cum potius  
quid aliqui fluctibus civilibus  
nimium cupide se mergentes  
oblatrent, depromserimus.



AN

ET QUATENVS FAS SIT ABS-  
QVE MODO PHILOSO-  
PHARI.



**P**raeterita praelecti-  
one sic me gessi,  
Auditores, vt ve-  
stigia Taciti se-  
quutus ostenderim ex sapientia  
& philosophiae studio retineri  
debere modum, iustissimae re-  
prehensionis si quis se nolit red-  
dere obnoxium. Nunc versa  
vice id agam, vt commonstrem  
immenso desiderio oportere nos  
flagrare in comparanda rerum  
pulcerrimarum cognitione, nun-  
quam-

quamque satis diligentiae, satis-  
 que laboris sapientiae capeffen-  
 dae impendi. Nec miramini  
 sic a me institui dissertationem,  
 cum summus vir Aristoteles  
 hunc morem in suam scholam  
 inuexerit, ut de quolibet argu-  
 mento in utramque differeretur  
 partem, omniaque disputando  
 sursum deorsum verterentur,  
 nec quicquam intentatum relin-  
 queretur, quod ad depellendas  
 inscitiae tenebras faceret atque  
 conduceret. An ergo, dicetis,  
 postquam contrariis frontibus  
 nunc modum in sapientia tenen-  
 dum, nunc amandandum dilce-  
 ptaueris, nos ambiguos, senten-  
 tiaque incertos relinques mediis  
 in fluctibus argumentationum?  
 Non hoc committam. quin  
 potius

potius antequam nunc perorem,  
 & diatribæ finem imponam, in-  
 dicabo strictim breuiterque,  
 quæ via incunda, vt vera sint  
 quæ iam iam prolaturus sum, &  
 tamen vere laudauerit Agrico-  
 lam Tacitus, quod modum ex  
 sapientia retinuerit. Ergo quod  
 sapientiae studium nullum ha-  
 beat, nullumque habere debeat  
 modum, plurima clamare, immo  
 latrare ( liceat sic cum Lucretio  
 loqui ) videntur. Etenim in  
 peregrinatione, cum sapientis-  
 simi cuperent euadere, multi ex  
 antiquis philosophis ætates suas  
 consumserunt, Xenocrates,  
 Crantor, Arcesilas, Lacides,  
 Aristoteles, Theophrastus, Ze-  
 no, Cleanthes, Chrysiippus,  
 Antipater, Carneades, Pana-  
 cius,

*Cic. lib. 5.  
 quest.  
 Tuscul.*

tius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, innumera-  
 biles alii, qui semel egressi nun-  
 quam domum reuerterunt.  
 Quis autem nescit dulcedine  
 mira cunctos trahi a natali solo,  
 & patriæ obliuionem difficilli-  
 me obrepere? Tot tamen no-  
 bilissimi in philosophia homi-  
 nes, ut discerent, ut doctissimi  
 existerent, patriam charitatem  
 potuerunt expectorare, ex ani-  
 mo excludere. certe qui patrios  
 lares dediscit, & obliuiscitur  
 ex amore erga disciplinas, non  
 videtur retinere modum. An  
 vero Tacitus peccasse audebit  
 pronuntiare tot sapientissimos  
 viros? non id adferet, si ipse  
 velit dici sapere. quin tacitus  
 tantorum hominum venerabi-  
 tur

tur auctoritatem, nec audebit  
 censoria nota excipere Anaxa-  
 goram, & Democritum, qui cum  
 quærendæ diuinæ delectationi *Cic. 5.*  
 toto se animo dedissent, agros *Tuscul.*  
 & patrimonia reliquerunt. *quæst.*  
 Tantum mehercule abest, vt ta-  
 lem domesticæ rei contemptum  
 carpat in ipsis disertissimus La-  
 ctantius, vt potius affirmet dig-  
 nissimos fuisse cognitione verita-  
 tis, quam scire tantopere cupi-  
 uerunt, atque ita, vt eam rebus  
 omnibus anteponerent, dum  
 abiecerunt res familiares suas,  
 & renunciarunt vniuersis volu-  
 ptatibus vt solam, nudamque  
 virtutem nudi expeditique se-  
 querentur: tantumque apud  
 eos sapientiæ nomen & auctori-  
 tas valuit, vt in ipsa summi

C 2      boni



boni præmium esse iudicarent. Operæ autem est audire eiusdem Lactantii verba, in quæ statim in principio pulcherrimi operis erumpit. Sic autem habent, si me non fallit memoria. Magno & excellenti ingenio viri, cum se doctrinæ penitus dedidissent, quicquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & priuatis actionibus ad inquirendæ veritatis studium contulerunt, existimantes multo esse præclarius, humanarum diuinarumque rerum inuestigare ac scire rationem, quam aut struendis opibus, aut cumulandis honoribus in hære. quibus rebus, quoniam fragiles terrenæque sunt, & ad solius corporis pertinent cultum, nemo

mo melior, nemo iustior fieri potest. Sic quidem ille, quæ videntur Cornelianæ sententiæ damnantis eos, qui ex sapientiæ studio modum non retinent, robur omne, vim omnem infringere, atque enervare. Cum præsertim præsto sit Ciceronis, viri consularis summa omnique exceptione maior auctoritas, qui eos, qui sua tempestate idem dicebant, moderateque iuebant nos incumbere doctrinis, confutat, dum ait, in discendo difficilem esse temperantiam; nec enim studium cum semel admissum fuerit, reprimi coæcerique potest. Nam siue ad sapientiam perueniri potest, non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam sapientia est: siue

C 3      hoc

hoc difficile est: tamen nec modus est ullus inuestigandi veri nisi inueneris, & quærendi de fatigatio turpis est, cum id, quod quæritur, sit pulcerrimum. Etenim si delectamur, cum scribimus: quis est tam inuidus, qui ab eo nos abducatur? si laboramus: quis est, qui alienæ modum statuatur industriæ? Quod si Ciceronis ei non sit satis testimonium, annon satis sibi factum dicet, si prodeat exemplum certissimum virtutis Cato Uticensis, cuius incredibilis fuit in legendis voluminibus cupiditas. non finit de hoc nos ambigere idem Tullius. Erat in eo, inquit, inexhausta auiditas legendi, nec satiari poterat, quippe ne quidem reprehensionem vulgi

3. de finibus.

gi inanem reformidans, in ipsa  
 cutia solebat legere sæpe, dum  
 senatus cogeretur, nihil operæ  
 reipubl. detrahens. quibus pro-  
 latis eundem non dubitat libro-  
 rum helluonem appellare. Ipso  
 de Cicerone quid dicendum?  
 Nisi ad nos peruenissent libri,  
 quibus de omni prope philoso-  
 phiæ parte disseruit magna cum  
 copia rerum, vix credere, nobis-  
 que possemus persuadere, ho-  
 minem in republ. grauisissimis-  
 que negotiis occupatissimum,  
 caussarum in foro multarum  
 patronum perdiligentem, qui-  
 que tot orationes compositas  
 summa cum eloquentia reliquit,  
 potuisse tantum temporis legen-  
 dis clarissimorum virorum Pla-  
 tonis, Aristotelis, aliorumque

C 4

volu-

voluminibus tribuere. Cum v̄ro ante oculos nostros libri de natura Deorum, de diuinatione, de legibus, de finibus, paradoxa Stoicorum, Tusculanae & Academicæ quæstiones versentur, quis non agnoscat a Cicero-  
 ne diligentissimam philosophiæ nauatam operam, in credibileque ad eandem excolendam allatum fuisse studium? An deinceps quisquam asseret retinendum ex sapientia modum, modiceque philosophiam degustandam? Non ita quisquam errabit, nisi toto, vt aiunt, errare velit cœlo: cum etiam sese nobis vltro ingerat Cæsaris dictatoris erga scientiarum arcana amor. Ipse mer-  
 hercule cum interdum cogereretur rem militarem tractare, ducere  
 exer-

exercitum, imperatorio munere in castris fungi, nocturni temporis non parvam partem somno subtractam, lectioni, lucubrationi largiebatur. Non tam scilicet delicatus erat Cæsar, ut proceres nostræ tempestatis, qui in utramque aurem stertendo veterno litant, ne valetudinis rationem, præ qua artes liberales flocci faciunt, neglexisse dicantur. Sed eundem Cato-

nem legimus cœnas cum philosophis disputando in multam noctem consueuisse producere, cum diurnas horas cogeretur senatoriæ occupationi dare. Nam & Iulianum imperatorem, qui Constantio successit, scimus itidem vigilasse, cum milites dormirent, scripisse ceteris

*Plut. in  
Cat.*

*Amm.  
Marcell.*

quiescentibus, contemplatum  
 res pulcherrimas, cum aulici,  
 aulaeque ministeria somno vaca-  
 rent. Facebant ergo plebeiae vo-  
 ces, quas hodie frequenter au-  
 dire cogimur. nam si quem no-  
 vit vulgus paulo diligentio-  
 rem in studiis, clamat stultitiae genus  
 esse corpusculum ad imbecillita-  
 tem studendo deducere, vitam,  
 dum vigiliis quaeritur fama, &  
 nominis gloria, breviorē red-  
 dere, & senio subtrahere. At  
 nesciunt vulgares animae qualis  
 in meditando percipiatur volu-  
 ptas, qua suavitate perfundatur  
 animus, dum mens diuinarum  
 humanarumque rerum contem-  
 plationi inhaeret: obliuiscitur  
 mehercule se mortali corpori  
 alligatam, ad aetheream rapta  
 pul-

pulchritudinem humanam conditionem dediscit, terram spernit, nil humile spirat, nil mediocre sapit, coelitem sibi videtur frui alloquio, divinitatis ambrosia vesci, nectare immortali pasci. An illi obreperet satietas dum mensis Deorum accumbit? an cutem & corpus curaret, dum beatis geniis sociata intelligibile coelestis aulae intuetur exemplar? O beatos, iterum atque iterum dico beatos eos, qui mortalia quamvis circumferant corporis vincula, mentem tamen philosophando sic exercent, ut aeternitatis promulsi- dem in hoc quoque ergastulo delibent. Sed quo me æstus rapuit extra lineas, quas prælecti- onis mihi ponit angustia? Redeo  
ad



ad vos, auditores, revertor ad rem, de qua declamatio suscepta est. Nam ne videar aut mihi ipsi, aut Tacito, cuius verba heri sum interpretatus, repugnare: pronuncio palamque dico, scripsisse Tacitum, recte fecisse Agricola, quod retinuerit ex sapientia modum, neque se philosophia ingurgitarit, quia timendum erat, ne si tantam adferret ad philosophicum opus sedulitatem, umbraticus homo euaderet, nobilitatem suam obscuraret, fastigium, ad quod vocabatur a militia vitaque civili, detereret, græculusque existeret, Romano nomini nequaquam decorus. Nec interim damnauit Tacitus exempla illa procerum Romanorum, extra  
com-

communem ordinem posita, admirationeque dignissima. Nam si quis sic philosophiam cum civilibus negotiis coniungat, ut, dum vacat sapientiae, non negligat munus, in quo collocatus est, ipse non solum non reprehendatur a Tacito, verum immortalis laude, nunquam interituro encomio ornabitur.

De eadem prælectione epigramma ad doctissimos nostri seculi philosophos.

*O caelo dilecta cohors, que dona  
Minervae*


*Congeris, & Sophia vesceris  
ambrosia.*

*Que laticem Vrania potas, que  
nectare mentem*

*Præluis, & Veri mystica tem-  
pla colis.*

*Suscipis*

*Suscipe sermonem hunc, quo teque  
 tuumque laborem  
 Et chartas, germen diuitis in-  
 genii  
 Socratico in cœtu, cupide com-  
 mendo iuuenta  
 Ausus Corneli grandia dicta se-  
 qui.*



AVGVSTI BVCHNERI  
 NOTAE IN CAP. IV.  
 VITAE  
 CN. IVLII AGRICOLAE  
 PRAELECTIONES GAVDEN-  
 TII ILLVSTRANTES.

**A**crius haurit philosophiam,  
 qui paullo avidius id facit,  
 ac maiore contentione, impetu-  
 que & cura in eam incumbit,  
 quam vt possit videre, quid ipsi  
 expediat. Quod vbi fit, ulte-  
 rius proceditur, quam par erat,  
 ac vitae proposito congruebat.  
 Nemo est, qui non certum fi-  
 nem in vita petat, & eo referat  
 omnia, quæ suscipit aut agit.  
 Quamuis autem ad quodlibet  
 vitae

vitæ gēnus conducat philosophiæ studium : tamen pro diuersis propositis & sectis vivendi, aliter aliterque habendum est. Pauci sunt, qui ad philosophiam adpellant animum, ut solam sciant, ac doceant olim, philosophicasue exercent scholas. Sed qui id faciunt, his concedendum, vt nihil ignorent, atque acricula illa ac spinosiora etiam, quibus in disputationibus tantum locus est, extra vsum non habent, noscant & comprehendant. Qui aliud sibi proposuere, maxime autem actus civiles negotiaque respiciunt, & in republica aliquando conspici cupiunt, remotiora naturæ, & abditas causas præterehuntur non male, degustantes tantum  
de

de illa parte, quantum videbitur utile; moralem autem atque civilem locum maxime tractabunt, & heic quoque ea potissimum haurient, quæ in vita & usu rerum posita sunt, fructumque promittunt aliquem, non superuacua, & quæ inutiliter tantum altercando exercent ingenia, oblitiscenda paullo post, cum egressus fueris de schola. Græcorum vanitatis fuerit, curiose studere, atque ad ostentationem etiam discere: Romani id a gravitate sua putabant alienum, qui plura facere ad laudem, quam scire malebant; & vitæ discere, non scholæ. Vox ne sit corpus, num incorporeum aliquid? utrumne maculæ in orbe lunæ, montes, & terræ, & flumina

D

mina

mina sint? num animalium mo-  
 res sint? num bonum corpus? quæ  
 Stoïci quærebant, & alia istius-  
 modi definire diserte, neque ad  
 bonum virum, nec ciuem, nec  
 senatorem etiam multum facit,  
 minus vero ad profliganda bella,  
 tuendamque rempublicam con-  
 ducit. At quid sit virtus, quid  
 iustitia, quid temperantia, mo-  
 destia, fortitudo, accurate nosse:  
 quæ vere bona malaue sint, quæ  
 in opinione posita, tum quomo-  
 do ea habere oporteat: quæ ar-  
 tes aut seruent rempublicam,  
 aut destruant: quæ boni magi-  
 stratus partes sint, aut ducis?  
 hæc sunt, quæ vt ad vitam per-  
 tinent maxime, ita discenda  
 præcipue sunt illis, qui non vm-  
 bratile otium, sed lucem nego-  
 cio-

tiorum ac reipublicæ affectant  
 curam. Quare & sapientes ipsi  
 in hanc philosophiæ partem in-  
 cumbendam præcipue, hortan-  
 tur passim. Quibus Agricola  
 cum adquiescere non posset, nec  
 satis haberet paucis ( quod  
 Neoptolemo Enniano placebat,  
 apud A. Gellium libro V Noct.  
 Attic. cap. XV & XVI ) phi-  
 losophari, ingurgitandum in  
 eam ratus, modum illum transit,  
 qui ei ut Romano & senatori,  
 ac reipublicæ destinato, positus,  
 tenditque ulterius, quam erat  
 concessum.

Et paucis interiectis ad ver-  
 ba: *retinuit ex sapientia mo-  
 dum* ita scribit: retinuit  
 sapientiæ studium, sed ita, ut  
 moderaretur, nec ultra intende-  
 ret, quam respicienti rempubli-



cam expediret. Quod ipsa  
 quia sapientiae erat, inde *ex sa-  
 pientia retinuit*, ait. Nam cupi-  
 ditatibus animi frena posse im-  
 ponere, easque ad modum ra-  
 tionis redigere, ut maximum  
 sapientiae opus, ita & difficilli-  
 mum est; quod & Tacitus heic  
 significat. Scilicet uti virtutis,  
 sic sapientiae certus modus est, ac  
 tenere illum, est sapere: transi-  
 lire, desipere. Ita enim Euripi-  
 des pronunciat in Bacchis:

Τὸ σοφὸν δ' ἔσ' ἡ σοφία,  
 τὸ, τὸ μὴ ὀρθὰ φρονεῖν.

quod Hugo Grotius in Excerptis  
 pag. CCCVII reddidit:

*Sanum nil nimis. haec sapit,  
 Qui plus, quam satis est, sapit.*

IN.

I N D E X.

A.

<i>Alphonsus decimus inter Castelle, nonus inter legionis reges philosophia fuit peritissimus</i>	24
<i>Alphonsi filius procax</i>	25
<i>Anaxagoras reliquit patriam</i>	35
<i>Aristotelis mos in utramque partem disserendi</i>	32

B.

<i>Baiazetes secundus &amp; imperio &amp; vita excidit deiectus a filio Selymo</i>	26
<i>Baiazetes contemptus a pratorianis militibus</i>	26

C.

<i>Cato Uticensis austerus nimis &amp; seuerus</i>	20
<i>Cato Uticensis librorum belluo</i>	38. 39

D 3

Ce

<i>Cesaris erga scientiarum arcana amor</i>	40. 41
<i>Coschutus tertius ex filius Baiazetis contemptus a praetorianis militibus</i>	26
<i>Chrysippus aliena compilavit scripta</i>	18
<i>Cynici elatrarunt in hominum mores.</i>	20

D.

<i>Democritus reliquit patriam</i>	35
<i>Discendi difficultas temperantia</i>	37

E.

<i>Excusantur nimium philosophiae dediti</i>	29
--	----

I.

<i>Iacobus Rex Britanniae nimius in litteris</i>	28
<i>Iuliani imperatoris diligentia</i>	41.
	42

Laetan-

L.

*Lactantius laudat veteres philosophos amore philosophiae patriam relinquentes* 36

M.

*Mantuae Dux nimius in studio philosophiae* 27

P.

*Patriae amor* 34

*Peregrinationes amarunt veteres philosophi* 33

*Philosophantium immodica diligentia irridetur apud Persium* 22

*Philosophantium immodice character* 23

*Porphyrium seria nimis contemplatio quo deduxerit* 23

*Proceres nostrae tempestatis delicatissimi* 41

Rudol.

R.

*Rudolphus secundus chymico studio vacavit* 27

S.

*Sententia genuina de philosophia studio* 44


*Stoicorum sapiens* 19  
*paradoxa* 19

T.

*Tertulliani pallium* 21

V.

*Vincentius Dux obviam it malis* 28





R.

*Rudolphus secundus chymico studio vacavit* 27

S.

*Sententia genuina de philosophia studio* 44

*Stoicorum sapiens* 19

*paradoxa* 19

T.

*Tertulliani pallium* 21

V.

*Vincentius Dux obviam it malis* 28

